DE ROMANA DIVI PETRI CATHEDRA ORATIO

HABITA

Ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum


CLEMENTEM XII.

PONT. OPT. MAX.

IN SACROSANCTA PRINCIPIS APOSTOLORUM BASILICA

A MARCHIONE NICOLAO GIUGNI

PATRITIO FLORENTINO.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. MDCCXXXVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro
CLEMENTI XII.
PONT. OPT. MAX.

NICOLAUS GIUGNI
FELICITATEM.

H*Abes hìc*, BEATISSIME PATER, *Orationem hanc meam nullo verborum ſplendore, nullâ ingenii ſuavitate elaboratam. Audacter illa*

Digitized by Google

quidem facere videri poteſt, quæ hac ſuâ exilitate Pontificiæ Majeſtatis conſpectum non reformidet. Hoc idem ſentiebam Ego primùm; verùm illam exire de manibus meis vix eram paſſus, advolare ad tuos pedes, Teque ſibi Patronum adoptare mirificè geſtiebat. Quod ad Te pervenire quamcitiſſimè cuperet, has eſſe cauſas tacitè memorabat: Debere ſe in ejus eſſe poteſtate, cujus ampliſſimam, ac penè divinam poteſtatem ipſa prædicaret: propiùs ei Cathedræ, cujus ipſa laudes complecteretur, adſtare velle, eximiam videlicet ſe earum rerum, quas contineret, facturam fidem, cum te CLEMENS *Optime, & Maxime, tantâ virtute, tanto ſplendore, tantâ amplitudine eam Sedem omni ex parte complentem omnibus, qui ubique ſunt, Mortalibus ex illo altiſſimo loco commonſtraret. Quòd tuo maximè patrocinio niteretur, id eſſe cauſæ ſignificabat, quòd tantam habes cum Pontificatûs majeſtate conjunctam naturæ facilitatem, atque clementiam, ut nihil tam obſcurum, tam humile ſit,*

quod

quod Tibi oblatum non & ſingulari quadam benevolentiâ complecti, & auctoritate in lucem vocare, & præſidio ſecurum ab omni offenſione præſtare ſoleas. His Mihi ejus audaciæ, quam putabam, rationem ſatis probaſſe viſa eſt; neque repugnandum cenſui, quominùs ad Te aſpirare pergeret: hoc tamen non deſtiti etiam, atque etiam monere; locum, tempuſque auguſtiſſimi conſpectûs Tui adeundi quàm minime alienum caperet. Tot enim Te, tamque graves hujus iſtius Cathedræ curæ, & cogitationes occupatum habent, atque diſtentum, ut vix tantò levioribus hiſce rebus vacare partem animi tui ſinant, aut ne vix quidem. Latiùs patet Romani Pontificis vigilantia, quàm ſit ab homine poſtulandum, ad omneſque Gentes in omnibus terris pertinet; quam quis umquam de ſe æquè, ac Tu, cumulatè præſtare potuit? in iſtâ enim quaſi ſpeculâ poſitus omnia circumſpicis, nullamque Orbis terræ partem Tuâ diligentiâ prætermittis. Sed multa, & magna prætereà ſunt veluti pro-

pria, quibus diuturnas cogitationes impertias, tuâ ſponte, ac voluntate ſuſcepta. Una hæc Roma, quæ primum in amore Tuo meritò locum obtinet, quàm Te ſæpè, quàm aſſiduè in maximis rebus intentum poſtulat! quantum ad ejus commoda vigiliarum, quàm multas Conductorum Hominum operas, quantas pecunias ad eam magnificentiſſimè ornandam, quàm penè infinitos ſumptus impendis! ut non mirificas modo Romanorum Cæſarum moles, atque ædificia æquare velle, ſed etiam ſuperaſſe felici ſanè jam propè exitu videare. Quanquam non ſum hactenus de Te, ut debui, loquutus: etenim ne hæc quidem tàm multiplex agendarum rerum varietas, & magnitudo fuit magnopere Orationi meæ, cum ad Te accederet, attendenda: neque Tua iſta mens eſt ex cœterorum hominum conditione, & naturâ æſtimanda. Ea mentis Tuæ vis eſt, atque præſtantia, ut cum permultas, cum perdifficiles, cum diſſimiles inter ſe, maximèque disjunctas res uno tempore penitùs cognoverit, digeſſe-

rit,

rit, explicarit, habeat tamen adhuc ſatis otii, ac temporis reliquum, quod omne in privatorum hominum rationes derivare nullo labore poſſit: nec fere in homine privato tanta lenitas in audiendo, tanta alloquendi facilitas, quanta in Te *Principe reperietur. Habet igitur* Oratio *hæc mea, cur in tuum conſpectum, ſine curâ, ſine metu veniat, atque in iſtâ perſpectiſſimâ benignitate, & clementiâ* Tuâ *conquieſcat. Habemus autem omnes, qui admirabilem iſtam cum omnibus ſummis virtutibus conjunctam benefaciendi voluntatem intuemur, in Nobiſque ſentimus, cur votis omnibus (ut nemo eſt tam ingratus, quin faciat) precari a Deo, & contendere non deſinamus, ut* Te *ſoſpitem diù, & incolumem ſervet, fideliſſimarum* Tibi *gentium communi bono, Romanæ Fidei incremento, Orbis terrarum univerſi felicitati.*

In-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſc. Bojan. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sacri Pal. Apoſt. Magiſter.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

SAnctum, atque Solemnem, Beatissime Pater, hunc meritò diem habemus, quo die primùm Apoſtolorum Princeps Urbem hanc Sedem per ea tempora Imperatoriam, nunc Pontificiam eſt ingreſſus, in eâque Cathedram illam, *Adversùs quam Portæ Inferi non prævalebunt*, fixit, & Religionis imperium, atque aram firmiſſimam ſtabilivit. Neque verò huic Urbi ſolùm, atque huic Romano Populo (quamquàm his præcipuo quodam, ac penè proprio Jure) lætandum eſt, ſed in Orbe terrarum Univerſo ad omnes, quibus Catholicæ lux veritatis affulget, hujus diei juſta, ac debita pertinet gratulatio. Quis enim locus tàm abditus, quæ Regio, quæ ora, quæ denique Inſula tàm a Nobis terræ, mariſque intervallis disjuncta reperietur, quò non aliquando eorum, qui Romanam Cathedram poſt Petrum, & poteſtate, & ſanctitate impleverunt, hodièque implent, divina vox, atque doctrina ad plurimarum, maximarumque gentium ſalutem, lucemque pervaſerit? Cujus quidem vocis, atque doctrinæ vi, & autho-

Matth. 16.

Digitized by Google

authoritate perfectum eſt, ut Cathedra hæc *Domini luce perfuſa per totum Orbem radios ſuos porrigat*, ejuſque imperium iiſdem jam, quibus ſolis curſus, Regionibus, ac terminis contineatur.

Cypr. Lib. de unit. Eccleſ.

Neque ſanè mirum cuiquam videri debet, tantas ab eâ doctrinâ Romanæ Eccleſiæ acceſſiones eſſe factas. Non enim illam Pontifices a tenuiſſimis humanæ ſapientiæ rivulis hauſtam acceperunt; ſed ab illo perpetuo fonte, undè omnis & veritas, & intelligentia dimanat. *Oportet in ſublimi*, loquar enim cum Athanaſio, *rationem iſtarum rerum petere*, earum ſcilicet, quas ab Apoſtolicâ Cathedrâ docemur, *non humi ex ſanguine, & carne conquirere, ſed ex celebratione Divinâ, & Cœleſti*. Hoc tàm ſancto, tàm ſolido cum carerent firmamento doctrinæ, atque præſidio impiæ ſuperſtitionis, errorumque aliæ magiſtræ Cathedræ, nec ſtabilitatem, nec amplam admodum ditionis ſuæ Regionem habere potuerunt. Dies enim aliquando animorum caliginem, ac tenebras diſcutit: neque ille Parens lucis, atque auctor Deus diutiùs ſinit mentes hominum, ſenſuſque fallaciis, ac præſtigiis circumveniri: niſi ſi qui fortè, qui multi ſunt, diem, lucemque ſuâ ſponte, ac voluntate devitant, & tamquàm nocturnæ volucres *Poſuerunt in tenebris latibulum ſuum*.

Athan. Or. Quod unus ſit Chriſtus.

Pſ. 17. 12.

Nam quid de Ethnicorum profanis ſacris commemorem? Occupabant illa octodecim antè ſæculis Orbis partem maximam; omnia

erant

erant impuriſſimo Deorum grege referta, plena omnia ſacrilegis cœremoniis: irretiti miſerum in modum impiis Sacerdotum artibus, & fraudolentis Dæmonum reſponſis imperitæ multitudinis animi tenebantur. Sed nimirùm falſitate, ac mendacio nixam doctrinam labefactari in dies oportuit, & novo Apoſtolicæ Veritatis veluti ſole in teterrimam errorum noctem irrumpente, cùm in omnibus locis nationes maximæ, atque ampliſſima Regna, tùm hæc ipſa, caput Imperii, Roma, Deorum nomen deteſtari, ſimulacra comminuere, ſanctiſſimæ religioni viſa eſt aditum in ſuas Sedes latiſſimum patefacere; Ut jam, ſi quis intermortuas quaſdam veteris ſuperſtitionis reliquias velit oculis uſurpare, eas extrà Oceani Oſtia, atque in ultimis terrarum latebris abditas ſine ſpe, ſine nomine, ſine ſecuritate conquirat, neceſſe ſit.

Infinitum eſſet de omnium hæreſum varietate dicere. Verumtamen quod de ſingulis non poſſum, hoc verè mihi de univerſis videor eſſe dicturus. Cum omnes illi audaciſſimi perduelles, ſeditionis, atque impietatis ſigniferi, Novatiani, Donatiſtæ, Arriani, Eutichiani, Priſcillianiſtæ, Neſtoriani, Albigenſes, Huſſitæ, atque alia id genus penè innumera monſtra, atque prodigia, non ſolùm voce, ſed etiam armorum terrore, ac minis, & potentiſſimorum Principum præſidio ſuæ doctrinæ contagionem in omnes terras diſſeminare, omnium mentes

vene-

vèneno imbuere, Romanam hanc Cathedram, cui crudele Bellum indixerant, evertere conarentur, vel ſatis anguſtos ſceleratæ dominationis fines adepti ſunt, vel certè non diuturno tempore auctoritatem, fidemque obtinuerunt: Ste-
Aug. Epiſt. 162. tit hæc firma Cathedra, ejuſque *In Eccleſiâ ſemper viguit Principatus:* impuræ hæreſes ſunt cum
Hierem. 14. ſuis auctoribus conſepultæ. *Non enim locutus ſum ad eos*: (admonet per Hieremiam Deus) *viſionem mendacem, & divinationem fraudolentam, & ſeductionem cordis ſui prophetabant.* Quod quidem ſanè debitum fatum nefariis recentiorum Hæreticorum ſocietatibus, quæ latiùs bacchantur, impendere præſentit animus. Concidet Calvini, concidet Lutheri profligata ſeditio: conteret hydrarum omnium peſtifera capita vi-
Gen. 3. ctrix Romana Fides: Catholica divinitùs de Cœlo delapſa doctrina triumphabit: Hujus de-
Joan. 10. nique virtute *Fiet unum Ovile, & unus Paſtor.*

Nos autem, qui in hac tantâ luce nati, altique ſumus, ſanctiſſimam Petri Cathedram,
Cypr. Lib. de unit. Eccleſ. *Super qua fundata eſt Eccleſia*, intentis animis audiamus: ejus doctrinam voce, & ſiquidem tempus poſtulabit, ipſo ſanguine tueamur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google